

ordinarium oratorem, gratulantur. Quatuor de more, qui Romam profecti id muneris obirent, legati designantur, Philippus Tronus, Franciscus Contarenus, Marcus Antonius Venerius, Nicolaus Pontius.

1550
Veneri ora-
tores ad
Julium
Pontificem.

Julio vero Pontifice renunciato, cunctorum animi ad meliorem spem erecti, lætiora etiam inde omina sumebant, quod eo potissimum tempore suffectus fuisset, quo aperiens se annus cælestium donorum magnitudine refertus, cunctorum Christianorum votis magna expectatione exciperetur, *Jobeleo* insignis, quod priscis temporibus centesimo quoque anno celebrabatur; postea ad quinquagesimum; demum ad quintum & vigesimum redactum; quo ii, qui ad Romanam urbem, divorumque Petri, & Pauli Apostolorum corpora invisenda accedunt, omni criminum noxa expiantur; ex cunctis fere christiani orbis partibus eo anno mortalibus ad urbem confluentibus, quos novi visendi Pontificis cupiditas majori numero attraxerat. Julius inito pontificatu statim Romanæ Ecclesiæ vexilliferum Octavium Farnesium Ducem creavit, atque ut Parmæ civitas ab Ursino (quemadmodum jurejurando cum reliquis Cardinalibus ante Pontificis electionem se obstrinxerat) ei traderetur curavit, pecunia ad stipendia militum solvenda missa. Ascanium Columnam, a Paulo suis ditioribus exutum, atque exilio multatum, qui toto eo tempore Venetiis commoratus fuerat, in gratiam recepit. Eadem clementia in Rodolphum Baleonium usus. Romam, pontificiasque ditiones vetigalibus, ac tributis levaverat. Inde illius humanitas, ac liberalitas per omnium ora circumferebatur, quæ majora, atque illustriora reddebantur, quod ad eum, uti Christi Vicarium, colendum, Ecclesiæ beneficiarii Ferrariæ, Parmæ, atque Urbini Duces accesserant. Carolus Cæsar, Henricus Gallorum Rex, aliique Reges, Principes, ac Respublicæ certatim perhonorificas legationes miserant. Venetorum legati sexto kal. majas, divo Marco Reipublicæ patrono dicata die, obviam fere tota effusa civitate, urbem ingressi, perhumaniter a Julio excepti, variisque honoribus exculti fuere, ut nihil ad Venetæ Reipublicæ dignitatem accedere posse videretur. Nicolao Pontio, ut juniore, orandi munus obtigit, qui, ut erat omnibus disciplinis eruditus, atque magna dicendi vi, & gravita-

Parmæ Pö-
tificis
mandato
Octavio
Farnese
traditur.
Ascanius
Columna,
& Rodul-
phus Bala-
onium a Pon-
tifice in
gratiam re-
cepti.